DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

1193

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVII. MARTII.

M. PETRO LE MERCIER, Doctore Medico, Præſide.

Poteſt-ne infans per plures annos in utero matris ejuſque tubis ſanâ ſuperſtite muliere conſervari?

SI uſquam ineffabilis longéque noſtrâ cogitatione profundior ipſa per ſe naturæ ſagacis operatio tot fermè edidit miracula quot opera, in homine præſertim orbis compendio, cæteris animalibus divinius quidpiam ſortito, rebus univerſis me-
liori, Deoque poteſtate ſimili & admirationem omnem ſuperante illud obſervare eſt, dum fœtus conformatur; cujus causâ princeps anima, quæ intermediis ſpiritibus architectatur ſibi domicilium functionibus obeundis accommodatum:
Huic opitulatur laudabilis uteri & ſeminis utriuſque parentis ad perfectam conceptionem ὠκεῖα. Ille virile ſemen attrahit, fœmineo permiſcet, utrumque retinet & ſuſcitat nativo calore & inſitâ proprietate. Conceptione peractâ, ceſſat
ab opere, & vim agendi totam, delineandi, conformandi, nutriendi, augendi, fœtui relinquit. A vernaculâ iſtâ proprietate ſi deſciverit, & alienum aſciſcat calorem, aut nullum aut depravatum vitioſumve conceptum exſpecta.

VT ſemper aliquid novi fert Africa, ſic & muliebris uterus: Dum id quod vult & intendit non valet perficere, ne nihil agat, agit id quod poteſt. Hinc illegitimi fœtus & aberrantis naturæ παρεκβάσεις & ludibria (dum ſuo fruſtratur fine corrupto quo-
dam principio) & tot ferè monſtrorum differentiæ, (quæ intendit illa multifariam in ſpecie, ſexu, effigie) quot generationis cauſæ. Agens, vis eſt formatrix aut fortis imaginatio, & calor: locus conceptionis ceu perverſio uteri &
prava conformatio, depravatæ figuræ cauſæ: Materies, ſeminis redundantia, inopia. Totum hoc admirandæ conformationis opus in quatuor diſtinxit benigna illa hominis parens tempora, γονὴ, κύημα, ἔμβρυον, παιδίον. tanto ſcilicet ad per-
fectionem divini iſtius animalis pleni rationis & conſilij opus fuit intervallo! in cujus delineandis, ſecernendis, & conformandis partibus, imò & membranis quæ puellum ſeparant ab utero, venis arteriiſque, quibus ſolis fœtus cum fœ-
tâ jungitur, loco minùs idoneo effingendis extendendiſque ita ſæpe aberrat, ut infans, quamvis abſolutiſſimus præfinito tempore, (licet præviis omnibus ſignis crudeles moleſtæ geſtationis dolores comitantibus) foras extrudi non va-
leat, & in prægnantis utero per plures annos ſanâ ſuperſtite fœminâ conſervetur abſque putredine.

PRÆCLARISSIMA vis procreatrix ingenerata ſemini, ſive anima ipſa ſit, ſive vis quædam animæ vicaria, ſingulari planéque admirabili uteri proprietate excitata, in corpore fingendo perpoliendoque occupatur; ipſe interim, alterius
animalis loco habendus & immortalitatis flagrans deſiderio, ſemen tam avidè expetit, ut ei ſuis penè convulſus ſedibus obviam prodeat; exceptum id gremio mollito & ſubacto ſtudioſiſſimè recondat, ſi præſertim adhuc madet menſtrui ſan-
guinis reliquiis non multò antè profuſi nec exiguâ agendi virtute præditi, ex eoque vim generatricem ſopitam & fermè ſepultam eliciat exſtimuletque ad ſuſcipiendum conformationis opus. Tunc inſtar boni & liberalis parentis undique con-
quirit & parat fœtui neceſſaria vitæ ſubſidia, ſanguinem illumque uberrimum ex venis hauſtum, vitalem ſpiritum & calorem vimque omnem aëris temperando caloris inſiti fervori accommodatam, ex arteriis, quibus perfunditur quam-
plurimis, ad eundem tranſmittit. Cùm primùm verò fœtus ſatis virium eſt adeptus ad vitam ſuis auſpiciis agendam, tum vis retentrix munus intermittit ſuum, ipſaque adeò provida parens natura facultati expultrici partes mandat illius abi-
gendi excutiendique. Sed proh dolor! quamvis mater in partûs negotio partes præcipuas ſibi videatur vindicare (eſt enim is actio facultatis expultricis utero inditæ quâ ille conatur fœtum excludere ſe ſeque expedire onere moleſtiſſimo)
& nono graviditatis menſe ſummo impetu in hoc opus incubuerit ſolitos parturientis cruciatus perpeſſa, omnibus corporis partibus in id conſpirantibus & pro ſe quibuſcunque connitentibus partum promovere, irritus tamen remanſit omnis
illius conatus, & per annos ſexdecim & ampliùs reſtitit fœtus in utero.

E Lateribus uteri duo aſſurgunt cornua (neoterici tubas appellant) ex iiſdem tunicis confecta, per quæ totidem venæ & arteriæ à ſpermaticis deſcendentibus diſſeminantur. Illa ſemen è matris teſtibus elaboratum excipiunt, & in coitu titillante
libidine id ipſum non tantùm in uteri capacitatem ejaculantur, verùm etiam illud aliquando in ſinu ſuo recondunt & permiſcent virili ſemini, ad quod prolectandum, ob ejus ipſis ingenitam cupiditatem, in amplexibus venereis obviam pro-
cedere ſentit mulier. Sicque conceptus etiam organa eſſe poſſunt, partus nunquam. Ea quippe, non ſecùs ac vulva, tantâ interdum aviditate paternum ſemen attrahunt, attractum tam arctè concipiunt, ut nulla ſit ſinûs interioris tubarum pars
etiam remotiſſima cui non intimè adhæreſcat, cùm illud exactè complectantur. Nec ullas natura ſolers tubis valvas appoſuit, quæ ſeminis virilis in earum concava appulſum prohibeant. Sic virile ſemen muliebri (quod etiam illius ſuave pabu-
lum eſt) permiſceri, & in intimos tubarum ſinus influere non impediunt adaperta tubarum oſcula; nec quominus hominis opificium ex utriuſque parentis ſemine maſculeo fœmineo (in quibus vis conformationis præcipua recondita eſt) in la-
byrintheis tubarum implexibus coërcito perficiatur. Nec etiam conceptum illud idem ſemen extimâ ſui parte ab eximio ambientis loci calore exſiccata, cruſtæ inſtar, membranâ undiquaque obducatur χορίον dictâ, in quâ fœtus ἔμβρυον poſita eſt,
unde vaſa quæ umbilicus complectitur amplo foramine à fœtu ad uterum & acetabula pervia ſanguinem ad fœtûs ortum & nutritionem diſtribuunt, & innumeras venarum arteriarumque propagines, quarum extrema orificia tubæ va-
ſorum acetabulis annexa, cotyledonas (quæ etiam in muliebri utero deprehenduntur) producunt; & per vaſorum umbilicalium tenuiſſimas diſtributiones (in quibus etiam placenta veteribus non ignota concreſcit) ſanguinem & ſpiritum
vitalem uteri tubæ, gignendo alendoque fœtui ſuppeditant, quibus, exſuſcitandæ genituræ, caloriſque temperandi, vis à naturâ impreſſa conceptionis opus abſolvit, quod aliàs, ſolutis acetabulis per quæ fœtus alimentum capeſcebat, miſer-
rimè interrumpitur.

MVLIERI, temperamenti ſanguinei, boni & laudabilis corporis habitûs, florentis ætatis, tam blandos amoris ſtimulos admovit natura, ut, dum perennitatis ſibi conciliandæ ſtudio ducitur, vulva virile ſemen tam avidè expetat, admiſſum
id in fundum uſque, imò & aliquando in ſinus ſuos ultimos undique complectendo recondat, & privatâ dote exſuſcitet & ad agendum impellat vim procreatricem. At proh dolor! effrenis amoris nec immeritæ voluptatis pœnas luit, dum par-
turit. Sanguinis, cujus nimiùm prodiga fuit in conceptu, copiâ ſuffocatur in partu; aut niſi pariat, (quod ipſis tubis à naturâ denegatum) cæſo extinctæ matris utero, pro lauro cupreſſus, non alio triumphare concedit in curru quàm in phere-
tro. Quindenniſque & ſexdecennis fœtus diù ſepultus in lucem editur poſtquam mortuus, maternâque funeratus in alvo, non habet unde ab utero transferatur ad tumulum. A morte accepit, quod hactenus omnes à vitâ, ut loqueretur
quæ nec vagiit nec balbutiit unquam infans fœmina, in parente novercam nacta, fari docuit Medicos & Philoſophos, quorum ſermone etiamnum muta loquitur. Adeo rarum eſt fœminam eſſe & tacere! Morte ipsâ, quæ rerum omnium ſi-
lentium eſt, clamoſior facta, contentionem movit & adhuc movet inter eruditos. Habent ſic à fœminâ quod ſapiant Philoſophi, à quâ habuerant quod deſiperent; habent & ab eâ unde ſanam mentem aſſumant Medici, à quâ habuerant
mortales omnes unde dementarentur. Quomodo & quamdiu vixerit matris in ſinu, ſacramentum eſt. Non ultra nonum menſem traxiſſe vitam volunt aliqui: ad ſexdecim annos vixiſſe contendunt alij, non tamen creviſſe ſupra fœtus or-
dinarij magnitudinem, ſed ſalſi, ſeroſi ac nitroſi humoris ope, ſubcrocei & minimè grave olentis à corruptione ſervatam fuiſſe, quo ad libras circiter ſexdecim educto, apertis ſcapello integumentis, viſendam ſe præbuit nullis tecta involu-
cris. Matrem verò intra ſanitatis limites, ſed imperfectæ lubricæque, mediocri contrariorum uſu: quotidianis exercitiis: victu tenui & aperiente: motione corporis: purgatione frequenti per hydragoga naturam irritante: ſanguinis miſſio-
ne tum ex cubito tum ex malleolo ad menſes provocandos, & catharticis convenientibus ex arte præſcriptis adjutam: fluentibus ex ordine (in parvâ tamen quantitate) menſtruis ſenſim convaleſcentem: in dies intumeſcente alvo cum incredi-
bili totius abdominis diſtentione, annum tandem ætatis quinquageſimum quartum agentem, lentâ febre cum diarrhæâ diù conflictatam, die menſis Iunij vigeſimâ octavâ anni milleſimi ſexcenteſimi ſexageſimi primi diem clauſiſſe extremum.
Definite, ô dolanæ cives nimiùm ſubdolæ? popularium noſtrarum novimeſtre geſtationis tempus excurrere ad decimum aut undecimum, quod longius eſt, (imò ad decimum tertium) ſubſannare; quibus gentilitium in poſterum ſit futu-
rum, quidecennes fœtus, imò ſexdecennes & ampliùs velut ſepultos, natos nunquam & matricidas, in utero & illius tubis geſtitare.

Ergo poteſt infans per plures annos in utero matris ejuſque tubis ſanâ ſuperſtite muliere conſervari.



Proponebat Lutetiæ MICHAEL POINSSART, Catalaunæus, A. R. S. H. M. DC. LXVII.